



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Flores Meditationvm**

**Bebius, Philippus**

**Coloniae Agripp., 1623**

Medit. 12. De Proditione Christi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59636)



MEDITATIO XII.  
DE PRODITIONE  
CHRISTI.

PVNCTA MEDITATIONIS.

- I. *Cum permisisset discipulos aliquantulum dormire, ait: sufficit: surgite; eamus: Ecce appropinquavit, qui me tradet.* *Mat. 26.  
Mar. 14.*
- II. *Iudas veniens cum turba, dato eis osculi signo, appropinquavit IESV dicens: Ave Rabbi & osculatus est eum.*
- III. *Ministris dicentibus, se querere IESVM Nazarenum, cum respondisset: EGO SUM; abierunt omnes retrorsum, &c.*

---

FIGVRA.

**I**OAB princeps militiae Regis David, *2. Re. 20.* Iobuiam veniens Amafo, salutavit illum dicens: Salve mi frater, simulq; altera manu apprehendens mentum, quasi volens osculari; altera pugione latus transfigit, illumque occidit.

PRO-

---

 P R O P H E T I Æ.
 

---

*Psal. 40.* **H**omo pacis mea, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.

*Esa. 53.* Oblatus est, quia ipse voluit.

---

 D O C U M E N T A.
 

---

1. **I**n comparandis virtutibus, & in rebus arduis ac difficilibus, ad gloriam Dei & salutem animarum suscipiendis, non oportet timidè refugere: sed animo impavido obuiam ire tentationibus & molestijs, & omnia constanter perferre: quæ alij contra nos aut factis aut dictis moliuntur, idque exemplo Christi.
2. Iudas quia Dominum reliquerat, eo sceleris venit, ut ex Apostolo Christi, qui titulus summam, quæ inter homines est, sanctitatem indicat, dux euaserit ministrorum Diaboli, & Christi ipsius proditor: sic qui semel a vocatione sua deficit, ad extrema scelerum plerumque delabitur.
3. Candidè & sincerè agendum est cum Deo & proximo, sine simulatione, qua Iudas vsus est, cum verbis Christum salutaret, Magistrum osculo traderet inimicis.
4. Æquo animo ferendæ sunt fraudes omnes & iniuriæ, à quocunque inferantur, etiam ab amico, ut Christus tulit à suo discipulo.
5. Inimicis & calumniatoribus nostris nihil imprecandum est mali, ne asperis quidem verbis obiurgandi, sed suauius; & cum amo-  
ri

ris affectu monendi sunt, quod Christus Iudæis & Iudæ præstitit.

6. Christum osculo tradunt, qui ficto animo ad confessionem, aut indignè ad communionem accedunt.

7. Caueamus mundum, quia proditor est, & amicus falsus. Cum diuitijs nos ornat, arridet nobis: cum voluptates offert & gaudia, osculatur nos: cum honores largitur, amplexatur. Atque his modis speciem amici præferens, morti nos tradit sempiternæ.



MEDITATIO XIII.  
DE CAPTIVITATE  
CHRISTI.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Ministris in IESVM irruētibus, rogauerunt Discipuli: Domine, si percutimus in gladio? Et Petrus abscedit Malcho auriculam.*

Mat. 26  
Mar. 14.  
Luc. 22.  
Ioan. 18.

II. *IESVS vero prohibuit: sinite vsque huc; Et cum tetigisset auriculam serui, sanauit eam.*

III. *Postquam quæsisset ex ministris, & magistratibus, cur in templo non apprehendissent? ait: hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum: at discipuli omnes fugerunt.*

FIGV-